

bini, quos amnis *Kasback* permeat, priusquam se *Pregelæ* misceat. Ager urbi vicinus planus est, segetibus aptus. Academiam in urbe instituit *Albertus Marchio Brandenburgicus* an. 1544.

Episcopatus.

Episcopatus olim *Prussiæ* quatuor fuere, *Varmienfis*, *Culmenfis*, *Sambienfis* & *Pomesanienfis*. Hodie *Sambienfis* *Varmienfis*, *Pomesanienfis* *Culmenfis* conjunctus est.

Succinum.

Porro in littoribus *Borussiæ* ad mare *Balthicum*, succinum colligitur, quod incolæ vocant *Bernstejn* ab urendo, & *Augstejn*, quod oculis proficit. Græci electrum vocarunt, quoniam Sol vocitatus sit elector, ut quidam prodiderunt. *Servius* in octavum *Æneidos* dicit tria esse electri genera: Vnum ex arboribus, quod succinum dicitur; aliud quod in terra invenitur: tertium quod fit de tribus partibus auri & argenti. *Latini* succino dederunt nomen à succo, quod & *Solinus* indicat, cum scribit, *Succum esse arboris, de nominis capeffas qualitate: pinum vero unde sit genitum, si usseris, odor indicabit. Quod autem addit, precium est operæ ire longius, ne Padana silva credantur lapidem flevisse, respicit nimirum ad fabulam quam Ovidius lib. 11 Metamorph. refert. Heliades enim Phaëtonis sorores miserandum fratris casum deplorantes juxta Padum in populos versæ dicuntur, Clymene autem*

*Mater dum truncis avellere corpora tentat,
Sanguinea manant tanquam de vulnere guttae,
Inde fluunt lachrymæ, stillataque Sole rigescunt
De ramis electra novis, quæ lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit gestanda Latinis.*

Plinius scribit à Germanis appellari glessum à vitro, cui non dissimile est, quum utrumque sit pellucidum, ac propterea insulam Septentrionalem in qua colligebatur, quæque à Barbaris dicebatur *Austrania*, à Romanis *Glessariam* appellatam fuisse, Germanico *Cæsare* ibi classibus rem gerente. Nec mirum si creditum fabulæ, tot autorum scriptis confirmatæ, *Æschyli* in *primis*, *Philoxeni*, *Nicandri*, *Euripidæ*, *Satyri*. Sed falsam esse *Italiæ* testimonio patet. Itaque alii *Electridas* insulas Græca fide in mari Adriatico esse dixerunt, ad quas delaberetur *Padus*, qua appellatione nullas unquam ibi fuisse certum est. Sed quid succini naturam originemque scivissent, qui orbis situm ignorabant? *Æschylus* *Eridanum* ponit in *Hispania*, & eundem *Rhodanum* vocari scribit. *Euripides* rursus & *Apolonius* in Adriatico littore confluere ajunt *Rhodanum* & *Padum*. *Pytheas* tradit *Guttones* Germaniæ gentem accolare æstuarium Oceani *Mentonomon*, spatio stadiorum sex millium. Ab hoc diei navigatione abesse insulam *Abalum*. Illuc succinum primo fere fluctibus advehi, & esse concreti maris purgamentum. Incolas pro ligno ad ignem eo uti, proximisque *Teutonibus* vendere. Huic, teste *Plinio*, *Timæus* quoque credidit, sed insulam *Baltiam* vocavit. Doctiores crediderunt, nasci succinum è pinei generis arboribus, ut gummi è cerasis, refinam è piceis, erumpereque humoris abundantia, densari rigore, vel tempore autumnali, accolat illud mari appulsum legere in littore. Huic terrena quædam & volucra animalia plerunque interlucent, quæ implicata humore, mox durefcente materia cluduntur. Hinc *Martialis* de formica electro inclusa:

*Dum Phaëtonica formica vagatur in umbra;
Implicuit tenuem succina gutta feram.
Sic modo quæ fuerat vita contempta manente;
Funeribus facta est nunc preciosa suis.*

Sunt autem succini genera plura. Candidi odor est præstantissimus. precium initio vilius; fulvis major dignitas, & quidem translucentibus modico fulgore. Initio agrestes feminae monilium vice succina gestabant, postea in delitiis tantum ejus aucta est taxatio, ut hominis quamvis parva effigies, vivorum hominum vigentiumque precia superaret. Vis ejus usufque in multis. attritu calefactum paleas & folia arida attrahit, ut magnes ferrum. licet hoc discrimine: quod magnes solum ferrum trahat, succinum non modo festucas & paleas, sed omnia metalla, ligna, folia, lapides, terras; deinde quod magnes trahat non fricatus, succinum non nisi fricatum & politum & calefactum: tertio magnes trahit per flammam: electrum non: insuper magnes trahit per corpora densissima, electrum levi impedimento interposito non trahit. Plura vide apud *Guilielmum Gilbertum* Anglum in libr. de *Magnete*. Propterea succinum Arabes vocant *Carabe*, quod *Aboali* interpretatur rapiens ferrum. *Cardanus* ab humo folia ad duos pedes in sublime rapta fuisse scribit succini vi. Quis ejus in Medicina sit usus, ex *Plinio* peti potest l. 37, c. 2 *Histor. naturalis*.

Vidivito vel *Vidimitus*, ut à quibusdam nominatur, *Rex Borussiæ*, anno Christi 573, suæ ætatis 116, antequam una cum fratre *Brutenocribe* in ignem ad oblationem diis suis sese conjiceret, filiis suis possessiones divisit. Habuit autem (ut tradunt) duodecim filios, quorum primus *Litpho*, vel ut alii volunt *Litalan*, huic *Lituaniam* inferiorem tradidit, constituitque eum Regem supra ceteros, sed à fratribus propter homicidium *Cribe*, quod nomen Pontificis illorum fuit, rejeetus est. Inter ceteros undecim terram *Prussiæ* dispertivit. Ex his 1 *Zamo* nuncupatus eum obtinuit districtum, qui adhuc *Sambia* ab eo dicitur, & habet ab Occasu & Septentrione Mare salsum, ab Ortu Lacum *Curonensem* & fluvium *Deme*, à Meridie *Pregalam* flumen: opinio est habitasse eum in monte *Galtagarb*. 11 *Sudo* nactus regionem, in qua nunc *Oletzko*, *Stradaun*, *Lick*, pars *Iohansburgensis*, *Letzensis*, *Angerburgensis*, & *Insterburgensis*, districtuum sita sunt: & ab ortu habuit *Lituaniam*; in Meridie *Masoviam*, & *Galindiam*, ab occasu æstivali *Barthoniam*, à Septentrione *Scalavoniam*.

Diviso
Prussia
veteris.